

**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro
singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 30. De amore in Christum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](#)

||||:|||||:||||:|||||:||||| Martius,

DIES XXX.

De amore in Christum.

I.

Christus a nobis amari desiderat, & quidem vehementer desiderat. An non hoc satis est, licet alias non haberemus causas, quae nos ad eum amandum obligarent. Quod Deus, hominis amorem ardenter desiderare, & Homo illum ei negare possit, ex aequo difficile captu est. Desiderium indigentiae Argumentum est: indigentia Deus re quipiam, vel quod minus est, nostro amore? desiderium sollicitum imbecillitatis indicium est; potestne haec in Deum cadere? an non hoc dicemus, si videremus, eum se affligere, quod hunc amorem non obtineat; immodecum laetari, si eum consequatur. Si non habueris, Domine, amorem meum, deeritne aliquid felicitati tuae? & si eum habueris, accedentia tibi aliquid? interea non verecundatur, ardens suum illius desiderium manifestare, id indicatur clamore adeste vehementi sapientiae, quae homines invitat solicitationibus adeo teneris, quas sponsus ad sponsum dirigit, ut aperiat sibi

*Congratu.
lamenti mihi,
quia inveni
ovem meam,
qua perie-
rat. Luc. 15.
v. 6.*

*O viri, ad
vos clamito.
Prov 7.v.4.
Prabe fili
cor tuum mi-
hi Prov. 13.
v. 26.*

Martius.

cor suū item interrogatione roties iterata,
tāmque inquieta, quam Christus Petro
proponit, ut intelligat, an ab ipso amerur?
si te non Amo, Domine, rota infelicitas
in me recidit, ad te verò, quod attinet, quid
per hoc perdis? qui ergo sit; ut tantopere a-
morem meum desideres?

H. Christus omnem movet Lapidem,
ut hoc desiderium optatum sortiatur effe-
ctum. Ad id nos invitat suis promissis,
ad id nos allicit nostris proprijs commodis,
ad id nos urget suis beneficijs: ad id nos
solicitat suis precibus, & inspirationibus,
ad id nos obligat suo præcepto, ad id nos
etiam cogit suis minis. Denique quidquid
agit, seu naturæ, seu gratiæ spectemus or-
dinem (& quid non facit?) eò collimat.
Preces hominis importuni nos aliquoties
cogunt ad concedendum ei, quod petit, re-
pugnante licet nostra propensione, & com-
modo. Et sanctæ Christi Domini solici-
tationes non cogent nos, ut ei hunc a-
morcm concedamus, qui amor omne ipsi
gaudium, nobisque simul omnem parit
felicitatem? quid magis admirandum;
an tam ardens Dei desiderium amorem no-
strum obtinendi, an verò nostra ipsi resi-
stendi obstinatio? utrumque æqualiter in-
comprehensibile est,

III. In-

III. Ingens desiderium , quo Christus Martius
amorem nostrum obtinendi ardet , evidens
est summi ipsius erga nos amoris Argumen-
tum ; & modicum desiderium , quod nos
ipsum amandi habemus , non minùs certum
indictum est , eum à nobis non amari . Si
eum amaremus , sentiremus , quàm ama-
bilis ipse sit , & iste animi sensus ardens no-
bis injiceret desiderium , magis adhuc eum
amandi ; ita , ut amoris nostri modicum
cum difficultate toleraremus , sed pia qua-
dam impatientia contabesceremus , ejus-
dem augmentum experiendi ; omnia me-
dia , ad illum consequendum habilia am-
pletesteremur , atque hæc , quantumcunque
acerba forent , suavia nobis acciderent:
singulis momentis diceremus : amorem
tuum , mi IEsu , amorem tuum , & nihil
præterea . At quàm longè remoti sumus
ab hoc desiderio , quàm longè ab hoc per-
fecto amore ! Nemo est , mi IEsu , præter
te , qui ardens hoc desiderium amoris tui
mihi inspirare , unāque id efficax reddere
possit . Illum proin à te peto per illud ip-
sum desiderium , quo eum impetrandi fla-
gras . Eheu ! cùm sis omnipotens , tam
facile tibi est id efficax reddere : an igitur
omnipotentiam tuam repugnantiae meæ
cedere oportet ?

Af:

Martius.

*Affiduè Christum roga , ut sui amorem tibi
lardiatur. Hæc sint potissimæ tuæ preces ; vel
nullas alias fac , si velis. Hæc enim omnes alias
complectuntur.*

*Sapientia invenitur ab his , qui quærunt
illam ; præoccupat , qui se concupiscunt.
Sap. 6. v. 13. & 14.*

*Iubeste , Domine , diligî à me ; da quod
jubes , & jube , quod vis. Aug.*

DIES XXXI.

De unitate Dei.

I.

Naturæ lumen dicitat , Deum aliquem
existere quidquid extra nos videmus ,
quidquid in nobis ipsis sentimus , id nobis
asserit. Pulchritudo , ordo , motus tam
certi , & regulares omnium , quæ univer-
sum componunt , id clarè demonstrant ,
Consensus universalis omnium populorum
sunt vox naturæ , quæ mentiri non potest.
Effrænata licentia adducere nos potest ,
ut negemus , Deum aliquum ; verùm id no-
bis ipsis dicere non auderemus , cor enim
nostrum quantumvis corruptum mendacij
nos argueret. Est igitur Deus aliquis ;
verùm non nisi unus esse potest. Si duo
fo-